

Letter 270: [End of 1525, Zurich] Leo Jud to Capito

The manuscript of this letter is in the Basel Universitätsbibliothek, Ki. Ar. 25a, # 30.

Gratia et pax a Deo Patre per Christum.

Quid ego de sacrosancto corporis et sanguinis Christi sentiam, vir doctissime idem frater in Christo charissime, ex me scire desyderas, facis tu quidem humaniter ... iterum vero (videris) valde imprudentem qui e pumice aquam petis, nam quid ego, qui in schola Christi rudis  
5 discipulus sum et sacras literas vix summis labris degustavi in re tanta pronuntiare possum? Nec tutum est ea, quae a vulgi recepta consuetudine dissentiunt, litteris mandare. Nam quas literas hostes fidei non resignant? Quid, quod vel ex media veritate est haustum, non calumniant? Distuli igitur huc usque responsionem partim eandem ob causam quae tibi tamen parva videri non debet, partim quod negociorum mole obrutus vix scribere mihi licet. Neque tamen id te mihi  
10 excidisse suspiceris, viget amicitia nostra firmiorque est quam ut adminiculo literarum sit resarcienda, tametsi ego non illibenter litteras tuas et lego et relego. Placet mihi in ea re de qua tu queris Augustini sententia, super caput 6 Ioannis, ubi et docte et christiane verba Christi tractat, "Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus." Videturque in eam declinare partem signum esse panem et vinum corporis et sanguinis Dominique, quod et sophistae concedere  
15 cogentur siquidem sacramentum esse volunt. Aut enim signum est, aut sacramentum non est quod ipsi tamen mordicus tuentur, nam ipsi sacramentum dicunt invisibilis gratiae suae rei esse visibile signum. Si signum est, res non est, hoc ipsi nugantur in farragine sententiarum, libro 4<sup>o</sup>. Ego autem fide existimo hunc panem edi et sanguinem potari, non dentibus corporis, nam cibus est animi. Quid igitur transsubstantionem comminisci necesse est? Panis est quod editur, vinum  
20 quod potatur. Signum quemadmodum aqua baptisatis. Nimirum cibus ille (ut ait Christus) e coelo descendit, sed non descendit e celo caro et sanguis Christi, igitur caro et sanguis cibus non est, verum tamen saginat, reficit, confortat et vivificat animam fidelem, dum fide editur, dum creditur corpus eius pro nobis datum, sanguinem suum pro nobis fusum, per quem spiritum eternum mundata esse nostra peccata; nam caro nihil prodest, spiritus est qui vivificat. Noli ergo  
25 in carnem oculos defigere sed in hoc quod carne velatur, nempe id quod e celo descendit.

Sed quid ego nugis meis te virum eruditissimum obtundo? Verum tu ita vis, frater, proinde boni consule si quae mihi per imprudentiam minus perpensa exciderunt, dum nobis simul esse dabitur latius de ea re nugabimur. Interim patrem nostrum clementissimum oremus, ut nobis verum huius rei intellectum aperiat. Et si quid tibi clarius sugessit spiritus Domini, ne me  
30 fraudes. Vale, frater charissime. Salutatur te Zwinglius. Ex Tyguro.

Leo Jud tuus.

Has litteras iamdudum scripsi antequam mitteres mihi conclusiones tuas. Dixerat nempe is qui ferebat se reversurum esse ad me, cui volui dare litteras has, sed nondum venit. De disputatione ego plane nihil scio, nec scio unde hic sermo exortus sit.